

I. OMNIPOTENTIA.

104. Primùm Omnipotentiam sive potestatem omnem in cælo & in terrâ, assumptæ humanæ naturæ realiter communicatam esse, sacris edocti literis asserimus & confitemur.

105. Ei enim data est omnis potestas in cælo & in terra: Matth. 28, 18. & tum in omnem carnem, tum in omne, quicquid non modo in hoc, sed in futuro seculo nominari potest, Dominiũ & potestas est tradita Ioh. 17, 2. Eph. 1, 21. Quin πᾶν πλήρωμα θεότητος (quod certe Omnipotentiam suo ambitu comprehendit) in ea inhabitat σωματικῶς, Coloss. 2, 9.

106. Ex quibus testimoniis rectissimè D. Augustinus contra Flavianum cap. 10. colligit, ipsam Divinitatis esse Maiestatem, quâ Christum glorificatum esse scriptura asserit.

107. Et sanè omnem in cælo & in terra potestatem, omnem principatum, potentiam, Virtutem, & Dominationem supra omne nomen, quod nominatur non modo in hoc seculo, sed & in futuro: & cui subiacent omnia, excepto solo eo, qui subiecit illi omnia 1. Cor. 15, 27. velle more Sacramentario finitis aut creatis donis definire, ac circumscribere, nihil est aliud quàm cum ratione insanire: imò verius ipsam DEI omni-